



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Liber De Prudentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús María>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. II. Conqueritur de obliuione Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

& ego vos in omni aduersitate fidelissimè custodiam.

## C A P. I I.

## Conqueritur de obliuione Dei.

**Q**VID est, quod dilectus populus meus, in domo mea, fecit scelera multa, & oblitus est mei, quasi ego morte ignominiosa, & dolore plena nō redemissem eum? Ego nihil prætermisi, quod ad salutem, & consolacionem populi christiani pertineret. Illi enim destinavi supremas misericordias meas; quibus ferè mansuescerent. Eius sunt fidelissima promissa mea, testamentum, & legislatio cœlestis gratiæ meæ: & mitissimo corde cum populo acquisitionis versor, quasi ludens in orbe terrarum, ut inspirationibus, & gratuitis donis meis, corda dura emolliam, & vescar dulcissimo fructu sanguinis mei. Et tamen populus meus oblitus est mei, diebus innumeris. Nequè solùm pauperes, & ignari, & optimates, qui negotiis sacerularibus oppressi quasi gigantes gemunt sub aquis mei non recordantur, sed ipsi etiam Ecclesia.

Ecclesiastici, qui profitentur se nosse  
Deum, & quasi Nazaræi, se totos mihi  
consecrarunt, mei memoriam parùm  
curantes, ad studia sœcularia, & ludos,  
& venationes, ad hortorum culturam,  
& auaritiae negotiationem conuertū-  
tur. Quæ peruersio, & duritia cordis  
est hæc? Quare, filij mei, sequimini ideo  
alienos, qui decipiunt, & corrumunt  
animas vestras? Usquequò lugebit ter-  
ra, quam dedi filijs hominum, qui dere-  
liquerunt me: Conuertimini iam, filij  
charissimi, & afferte mihi gloriam, &  
honorem: continuis spiritualium ho-  
stiarum oblationibus, & cordis ascen-  
sionibus faciem meam citò requirite.  
Sumite psalmum laudum mearum, &  
pulsate tympanum ad perenne canti-  
cum gratiarum actionis celebrandum:  
Pergite exercere psalterium iucundū  
cum cithara, ad canendam totis viri-  
bus magnitudinem misericordiæ meæ.  
Considerate, & admiramini vias meas,  
& in adiunctionibus meis exercemini.  
Delectamini in factura mea, & in  
operibus manuum mearum, cum po-  
pulo, qui scit iubilationem, exultate.

H 3

Et ex-



Et experientia cognoscetis quām suauis, & salutaris sit memoria mea , & quām tristis, & mortalis obliuio mei. Decernite ex tota fortitudine vestra, memores esse mei , de terra Iordanis, cuius aquis abluti, & sanctificati es: & imaginem formæ meæ intimis visceribus imprimite. Et ego pergam vobis benefacere, & secundum magnam, & admirabilem misericordiam meā, recordabor vestri, & vocabo vos ad aeternam hæreditatem fælicissimi regni mei.

## CAP. III.

*Dolet super Ecclesiasticis.*

**Q**UOMODO obtexit caligine, in furore suo Dominus filiam Sion, dilectam sponsam meam , peccatis Ecclesiasticorum denigratam? Præcipitauit omnia speciosa Iacob, propter scelera filiorum meorum, quorum culpa, egressus est à filia Sion omnis decor eius: quia nobilior , & formosior Ecclesiæ meæ pars grauiter deformata est. Sanctitas illa antiqua Ecclesiastico-  
rum